

LXXII.

Otto und Konrad, markgrafen zu Brandenburg, gestatten den bürgern zu Budissin ein kaufhaus daselbst zu errichten und überlassen ihnen alle einkünfte aus demselben. D. Reppin, 29. 5
märz (in quarta feria ante festum palmarum)
1284.

Omnibus in perpetuum. Otto et Conradus dei gracia marchiones Brandenburgenses vniuersis has litteras inspecturis salutem in perpetuum. Ne ea 10
que geruntur cum tempore simul labantur cum fluxu temporis, vtile est ea poni in lingvas testium et litterarum testimonio confirmare. Ad noticiam igitur vniuersorum Christi fidelium volumus presentibus litteris peruenire quod nos, fidelibus nostris, burgen- 15
sibus ciuitatis Budessin et communitati eiusdem liberam dedimus facultatem siue licenciam in predicta nostra ciuitate Budessin construendi et edificandi domum mercatoriam, quod in volgari ein kophus dicitur in loco ubi ipsis burgensibus magis videbitur 20
expedire et prenotate similiter ciuitati, volentes ut uniuersi prouentus dicte domus ad vsus proueniant ciuitatis nec ad nos de hiis aliquid pertinebit, sed cum omni iure hec eadem domus ad ciuitatem pertinere debebit, ut pote alie domus in aliis ciuitatibus 25
mercatorum videlicet pertinere ad ciuitates alias videbuntur. Pro huiusmodi licencia burgenses predicte ciuitatis nobis decem marcas argenti Stendaliensis et eiusdem ponderis persoluerunt. Ne igitur super huiusmodi licencia inposterum alicui dubietatis scrupulus oriatur et ne a nostris successoribus violari valeat vel infringi presentes fieri iussimus ac sigillorum nostrorum appensionibus decreuimus communiri. 30
Testes huius rei sunt: Johannes et Burgardus niger dicti de Irekessleue, Tizo de Pannwiz, Reynerus de 35
Guck, Hinricus de Wardenberg, Otto de Pulsniz tunc aduocatus in Budessin, Luterus de Palow et alii pluri-
rimi fide digni. Acta et data sunt hec anno domini